

*illi salutem meam*: ac si medicus ægroto dicat, Ostendam tibi artem meam: hoc est, Faciam vt sanitate recepta, videas quàm dextrè te curauerim: vel amicus amico, Ostendam tibi beneuolentiã meam: id est, Efficiam, vt re ipsa videas, quàm sim tibi amicus ac beneuolus. Et nos Germani hoc sensu loquimur, cum dicimus: *Ich will dichs lassen sehen*.

*Quoniam adheret mihi.*] 1. Obseruemus hîc quidnam in afflictio Deum respiciat ac probet, cuius illam nomine eripere tuerique velit. Tria commemorat: primùm: *Quoniam*, inquit, *adheret mihi*: alterum: *Quoniam cognouit nomen meum*: tertium, *Inuocat me*. Non dicit, *Quoniam sine peccatis est*, quoniam omnia mea præcepta perfectè custodiuit, quoniam meritis est ac dignus quem eripiam ac tuear: sed ea producit, quæ in illis quoque reperiuntur qui infirmi sunt, imperfecti, & peccatis adhuc in carne obnoxij: nempe adhæsiõnem, cognitionem nominis ipsius, & inuocationem. hæc videlicet tantopere probat in pijs Deus, vt illorum nomine nequeat eos deserere. Sunt quidem ea pietate præditi credentes, vt peccatis abstineant, & præcepta Dei custodiant, quoad eius per gratiam Dei fieri potest: deinde & ita iustus est Deus, vt vicissim eos qui iustè viuunt, ac sibi seruiunt, in precio habeat: verùm non sine singulari consilio sacra Scriptura talem nobis Deum ob oculos ponit, qui magis fidem ac sinceritatem animi ab ipso bona cum fiducia pendentis respiciat, quàm iustitiæ perfectionem, vt ad consolationem infirmorum magis bonum quàm iustum Deum de prædicet: quemadmodum reuerà etiam nemo vsquam mortalium est, qui non magis in causa salutis suæ bonitatem, quàm iustitiam Dei agnoscere ac de prædicare cogatur.

2. Deinde notemus ordinem eorum quæ in pijs Deus approbat. 1. Fides illa, qua credimus Deum & esse, & remuneratione esse quærentium se: qua de re legimus Ebr. 11. adhæsiõnem hanc parit, qua quis Deo toto corde, sicut vxor marito, filius patri, amicus amico, adheret: qui adhærendi modus cum amoris affectu cõiunctus, & omnium est suauissimus, & nemini notus, nisi solis expertis. 2. Deinde adhæsiõ ista & coniunctio cum Deo certissimam parit nominis eius cognitionem: qualem supra in explanatione descripsimus. Etenim sine hac coniunctioe & familiaritate, vt ita dicam, nemini innotescit nomen: id est, bonitas, fides ac prouidentia Dei: quæ ab illis solis certo capiuntur experimento, qui vnus cum Deo spiritus effecti sunt. Sunt autè hi qui Deo adherent, vnus cum Deo spiritus, sicut Apostolus scribit 1. Cor. 6. 3. Tertiõ, cognitio hæc nominis Dei generat inuocationem hanc animi afflictio, qua tota cordis fiducia ad Deum clamatur. Istam fidei efficaciam non capiunt iustitiarij: qui neglecta diuinæ bonitatis cõsideratione, solam in Deo iustitiã, qua bene meritis bene, malè meritis malè faciat, & vnicuique secundum opera sua rependat.

*Respondebo illi.*] Nota ordinem & in hoc versu eorum, quæ adherenti sibi, opemque suam imploranti, pollicetur Deus.

1. Primùm: *Respondebo*, inquit, *illi*. Non simpliciter dicit, *Exaudiam eum*: sed, *Clamanti ad me vicissim acclamatione mea respondebo*: sicut ijs acclamari solet, qui vel in igne vel aqua perituri, amicorum opem implorant. Sic Esa. 58: *Clamabis, & dicet, Ecce adsum*. 2. Deinde, *Cum ipso ego*, inquit, *in tribulatione*. Non satis est quòd exaudit, quòd clamanti respondet: sed & hoc pollicetur, affuturum se ipsum illi in tribulatione. Exprimitur hic affectus paterni amoris, quò fit, vt filio vel in igne, vel in aqua periclitanti, pater accurrat, inq; ignem vel aquam vsque ad periclitantem filium infiliat. Sic Esa. 43: *Cum transieris, inquit, per aquas, tecum ero*. 3. Tertiõ: *Eruam eum*, inquit, hoc est, Non feram vt intereat in periculis, accurram, & id, quod anxie petit, illi præstabo. Quid autem in periculis constitutus magis petit, quàm vt eruat: 4. Quartõ: *Glorificabo*, inquit, *eum*. Non solum eripiam ex periculis, saluumq; reddam, sed & gloriosum & illustrem efficiam. Ergo crucem sequitur non solum ereptio, sed & glorificatio. Hæc est autem glorificatio ista ereptorum, quòd conspicuum redditur, esse eos Deo charos, sicut enim hæc crucis est ignominia, quòd afflictio putantur à Deo esse proiecti: sic gloria hæc ereptorum est, quòd declarantur esse filij & amici Dei, per hoc, quòd ope ac potentia illius ex ipsis veluti claustris inferni erepti sunt. Et hæc erit potissima filiorum Dei gloria in futuro seculo: de qua vide Sapien. 5: *Hi sunt, inquit, quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudine improprij, nos insensati vitam illorum estimabamus insaniam, & finem illorum sine honore ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos fors illorum est?* Hæc gloria nos apprehendet in reuelatione filiorum Dei, cuius Apostolus Rom. 8. meminit.

*Longitudine dierum saturabo eum.*] Notemus hoc loco, quomodo Deus conatibus impiorum subinde vsque ad eò aduersetur, vt quem illi citò cupiunt extinctum, ipse non solum è manib. eorum eripiat, & gloriosum reddat: sed & longitudine dierum repleat, eaq; in re gloriam non solum bonitatis suæ erga pium à se ereptum, sed & potentia contra impiorum conatus ostendat. Si Dauidi dedit, vt non solum eriperetur è manibus inimicorum, sed & longitudine dierum repletus, tormentum fuerit omnium suorum hostium. Alioqui pius non adeò affectabit longitudinem dierum in hac vita, vt anxie pro illa ad Dominum clamat, nisi quantum ea factura sit ad diuini nominis gloriam.

*Et ostendam illi salutem meam.*] Notanda est hæc diuinæ salutis ostensio & visio. Dum in rebus afflicti sumus, ostendit nobis Dominus multas tribulationes. His adobrutum fide speramus salutem Dei, expectantes ea quæ necdum apparent, nec aliquod sui indicium de se præbent. Quado verò è medijs tribulationibus erepti re ipsa experimur, quanta sit Deo saluandi virtus, tum demum ad eam quam antea sperauimus, & per patientiam expectauimus, diuinæ salutis ostensionem ac visionem peruenimus, quæ in futuro demum seculo perfecta continget electis. Hîc videbimus verè salutem Dei, quando à mortuis excitati, glorificatis corporibus sempiternam illam vitam, in qua nec labor, nec dolor, nec egestas, nec tribulatio, nec morbus, nec mors, sed cuncta felicia ac læta obtingent, apprehenderimus.

OBS. 1.

OBS. 2.

OBS. 3.

OBS. 4.